



# Disertaciones sobre tesis deducidas del Maestro de las Sentencias

XXVI

TESIS TERCERA DE LA DISTINCIÓN SÉPTIMA DEL LIBRO II DEL MAESTRO

Magister paragrapho quinto distinctionis septimæ sequentem apponit titulum: *Quod angeli mali vivacem sensum non perdiderunt et quibus modis sciant*; et subjungit: Et licet mali angeli ita per malitiam sint obdurati, vivaci tamen sensu non sunt penitus privati. Nam ut tradit Isidorus, triplici acumine scientiæ vigent dæmones; scilicet subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione supernorum spirituum. De hoc etiam Augustinus ait, spiritus mali quædam vera de temporalibus rebus noscere permituntur; partim subtilitate sensus; partim experientia temporum calidiores propter tam magnam longitudinem vitae; partim sanctis angelis quod ipsi ab omnipotenti Deo discunt jussu ejus sibi revelantibus. Aliquando iidem nefandi spiritus et quæ facturi sunt velut divinando praedicunt. Ex quibus inferimus pro Magistri expositione sequentem thesim, quæ ex prælibandis legitime et logice deducta apparebit: In malis angelis non est obtenebrata facultas naturalis cognoscendi, neque penitus sublata est in eis cognitio quæ fit per gratiam.

PRIMA PARS.—In malis angelis non est obtenebrata facultas naturalis cognoscendi.

Antequam ad Magistri doctrinæ expositionem deveniam nonnulla circa verborum elucidationem tradendasunt, etsit in primis, quod illud Magistri, nempe; quod angeli mali *vivacem sensum* non perdiderunt intelligendum est sensu a nobis in thesi proposito, hoc est pro facultate cognoscendi intellectualiter, nam ut ait D. Thomas (Sum. Theol. q. 54: a 5) «Angeli non habent corpora sibi naturaliter unita; unde de viribus animae non possunt eis competere nisi intellectus et voluntas.»

«Ad ea vero, subjungit, quæ in contrarium objiciuntur, potest dupliciter responderi: Uno modo quod auctoritates allatae loquuntur secundum opinionem illorum qui posuerunt angelos et dæmones habere corpora naturaliter sibi unita; qua opinione frequenter Augustinus in libris suis utitur, licet eam asserere non intendat. Alio modo potest dici quod auctoritates illæ et consimiles sunt intelligendae per quamdam similitudinem; quia cum sensus certam apprehensionem habeant de proprio sensibili, est in usu loquentium ut etiam secundum